

gruenter pastuti, paxuti, ita & taliter declarando, quod si essent in dicto loco Monasterii due, vel tres persone, & ab inde supra non divise, qui communiter habitarent in una domo ad unum ignem, & cathenam, & haberent alias domos duas, vel plures, in quibus non tenerent cathenas, vel ignem facerent, quantas, & quales haberent, non teneatur facere nisi roxiam unam, ut supra. Speciales vero roxie promisse dicto Domino Abbati, vel successoribus suis pro aliqua terra, prato, castagneto, domo, vel alia quacumque causa per aliquam singularem personam, vel habitatorem dicti loci per se solam, vel conjunctim cum alia, que roxia sit specialiter obligata, promissa, vel consignata in aliquo instrumento, vel publico consignamento quovis modo; iste tales roxie remaneant salve dicto Domino Abbati, vel successoribus suis nomine dicti Monasterii ultra roxias supradictas generales. Et si dicte tales persone communiter habitantes, ut supra se dividerent, vel facerent domicilium, aut ignem per se, tunc tales persone teneantur quilibet ipsorum facere roxiam unam ad rationem cujuslibet ignis, ut supra continetur; & quod dicte tales persone cujuscumque conditionis existant, possint, & valeant pervenire ad simul habitandum, vel ad communionem faciendum, seu ad standum ad focum, & cathenam unam cum consensu supradicto tantum, & tunc, & eo casu non teneantur ad faciendum nisi roxiam unam, ut supra non obstante divisione predicta, sive conventionem facta, dum simul habitarent, & in dicta communionem starent ut supra. Item quod possessiones subiecte dicto Monasterio, vel ei obligate ad aliquam conditionem reddendam, que possideantur per homines Monasterii predicti habitantes, & in loco stantes, ut supra, possint ipsas tales possessiones inter se ipsos de Monasterio vendere, distrahare, obligare, & alienare ad eorum liberam voluntatem cum consensu Domini Abbatis tantum, & ipse Dominus Abbas teneatur consentire, solvendo venditor Domino Abbati, & successoribus suis nomine dicti Monasterii solidos duos Janue pro quolibet libra ut supra, de pretio, & valore dicte rei vendite ut supra, loco tertie venditionis eisdem remisit, ut solvere solebant; & teneatur dictus Dominus Abbas consentire ad venditionem, nisi vendens venderet circa medietatem bonorum suorum, tunc, & eo casu dictus Dominus Abbas consentire non teneatur, si nolit, nisi talis venditor caveat idonee, quod non vendit animo recedendi, vel se absentandi, & quod non recedet de dicto loco. Et si aliquis de Monasterio, vel ibi habitans venderet bona sua in totum, vel circa mediam partem, ut supra, tunc, & eo casu talis persona sic vendens teneatur solvere tertiam venditionem, videlicet tertiam partem pretii, & valoris rerum tunc, & in preteritum venditarum, ut antiquitus solebant, & faciebant. Item quod si aliquis de Monasterio, vel ibi habitans, & stans in dicto loco, ut supra teneat, & possideret ad presens, vel in futurum aliquam possessionem ab aliqua persona forense, vel de monasterio predicto, ad fictum, & ad aliam conditionem reddendas, que possessio non esset subiecta dicto Monasterio dictus possidens ipsam teneat libe-

ram, & francham salvo a dictis conditionibus. Item quod pater, & mater succedant filiis legitimis, & filii legitimi succedant patri, & matri, & frater fratri non divisi dum simul habitarent, & in communionem starent, ut superius continetur. Immo tales persone legitime una vel plures simul habitantes, & in communionem stantes, ut dictum est, sibi ad invicem succedant. Et eodem modo intelligatur de consanguineis germanis secundis, & eorum filiis in dictam communionem habitantibus, & stantibus, ut supra usque ad tertium, & quartum gradum ipsis stantibus in dictam communionem. Item quod si aliquis de Monasterio decederet in pupillari etate, ita quod propter etatem non posset facere testamentum de bonis suis quoad etatem; que etas intelligatur in masculis usque ad annos XIV., & in feminis usque ad XII., & non ultra, tunc talium personarum legitimarum hereditas bona, & successio perveniat ad proximiores stantes, & habitantes in dicto loco Monasterii, modo ut supra sint in gradu, ut in proximo capitulo continetur; aliter monasterium in totum succedat. Item quod mulier dotata non possit redire ad bona paterna, vel materna, nisi de ipsorum voluntate, & consensu Domini Abbatis. Et si dicta talis mulier dotata rediret cum dotibus suis in communionem, & habitandum, ut supra dictum est, cum patre, vel matre, seu fratribus cum supradicto consensu, tunc, & eo casu Monasterium, sive Dominus Abbas in nihilum succedat, aliter Monasterium in totum succedat. Item quod mulier dotata possit de dotibus suis testari ad suam liberam voluntatem, quantum pro facto monasterii, dummodo prius relinquat tertiam partem Monasterio prefato, aliter in totum succedat, & si haberet filios legitimos patrem, vel matrem, cum quibus habitaret, & in communionem staret ut supra, tunc tales filii pater, & mater in totum succedant, aliter Monasterium in totum succedat. Item quod quilibet persona de Monasterio possit vendere, donare, dare, & legare omnia bona sua mobilia, & immobilia ubicumque sint, & dicta bona habeant, teneant, & possideant, & de ipsis bonis facere ad ipsorum, & cujuslibet eorum liberam voluntatem, salvo tamen quod in bonis subiectis, vel conditionatis Monasterio predicto interveniat, & requiratur consensus Domini Abbatis, ut supra continetur, & ipse consentire teneatur expresse, aliter Monasterium in totum succedat. In omnibus aliis vero rebus bonis, & possessionibus quibuscumque mobilibus, & immobilibus, que possideantur, & possidebuntur, seu habere debentur per illos de Monasterio, & per habitantes in presenti, & in futuro in dicto loco, vel per aliquem, vel per aliquos ipsorum, & que in predictis capitulis singulariter, particulariter, & divisim continentur, dictus Dominus Abbas, & successores sui nomine dicti Monasterii in totum succedant salvis, & reservatis personis predictis non habilibus ad testandum, & personis, que non essent divise, & in communionem starent, & simul habitarent cum consensu supradicto, & in communionem devenissent, ut supra est declaratum, que non intelligantur in ista clausula quoad successionem: aliter dictus Dominus Ab-